



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs XXI. De Sortilegijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

ris, hoc est, alienæ familiæ &c. insignibus aut falsis literis vel diplomate utitur, *l. eos 27. ff. ad L. cit.* qui Sacerdotem, Nobilem, aut Doctorem se fingit, his proprios actus temerè exercendo, *Farinac. q. cit. à n. 80.* qui falsas Leges vel Constitutiones, authoritates &c. dolosè allegat *l. fin. ff. ad L. cit. Farinac. ibid. n. 79.* & præter alios vel maximè is, qui adulterinam monetam colligit & expendit: in quem, si id scienter & dolosè faciat, præterquam quòd ad omnis damni inde secuti resarcitionem obligetur, perinde ut in cudentem, poena ignis constituta est à Carolo V. *art. 111. cit.* Hujus tamen Ordinationis rigorem, saltem

si ejusmodi monetæ expositio sine magno Reipublicæ damno & non diu exercita sit, tribunalium praxi alicubi multum & meritò mitigatum, ostendit *Carpozovius Prax Criminal. q. 42. à n. 99.*

Dixi, *Scienter ac dolosè*, quia à dicta aliàque poena utique eximuntur, qui id faciunt ignoranter, ut notat *Menoch. de Arbitr. casu 316. n. 55.* Quod, licet verum sit, monetam tamen adulterinam acceptam scienter expendentem injustè agere & ad restitutionem obligari, rectè docet *Navarrus Manual. cap. 17. n. 167.* quòd error suum tenere auctorem, & non alteri debeat nocere, *Zæsius ad hanc Rubr. n. 3.*



## TITULUS XXI.

### De Sortilegiis.

#### SUMMARIUM.

1. Sortium tria genera sunt,
2. Divisoria licita.
3. Consultoria regulariter illicita sunt,
4. Præsertim in electionibus Prælatorum,
5. Jure Ecclesiastico eas sorte celebrari vetante.
6. Et celebratas irritante.
7. Valida tamen est electio compromissariorum,
8. Et litis beneficiæ decisa sorte facta.
9. Divinatoria illicita,
10. Et obnoxia sunt gravibus poenis Civilibus,

11. Et Ecclesiastico Jure constitutis in sortilegos:

12. Contra quos hodie fere procedit sola Curia secularis,

**F**Alsi speciem & sæpe malitiam continent Sortes: non quidem omnes, sed illæ maximè, ex quibus vani superstitiosique homines de futuris eventibus aliisque rebus omnino reconditis conijcere solent. Sunt autem, & cum S. Thoma 2. 2. q. 95. art. 8. à cæteris DD. distinguuntur triplicis generis Sortes. Divisoriæ, Consultoriæ, Divinatoriæ.

Divisoriæ sunt, quibus jus individuum aut ambiguum, pluribus competens, inter eos dividitur, aut uni applicatur:

cat: ejusmodi Sortes per se licitas, communis doctrina & ratio est; quia neque ex se mala sunt, *can. 1. junctâ Gloſſâ 26. q. 1.* cum non ad aliquid futurum vel occultum investigandum adhibeantur, & propterea superstitionem &, quia mutuo consensu & conventionem plurium æquale jus habentium usurpantur, etiam injustitiam non contineant: neque à sacris Canonibus prohibeantur. Quin Jure Civili, *1. Si qua 5. ff. Famil. hercis. l. Si duobus 3. C. Communia, de Legat. § 1. Sed eum ambo 14. ff. de Judiciis* discretè approbatæ: & multis casibus usu receptæ semper fuerunt, juxta illud Regum sapientissimi, *Contradictiones comprimit fors, & inter potentes quoque dijudicat, Proverb. cap. 18. v. 18.* sic enim jam inter Israëlitas partes terræ Promissionis Numer. *cap. 33. v. 54.* & Josue *cap. 15. v. 1.* sic hodie quoque inter cohæredes, socios, milites bona hæreditaria vel communia, & præda dividi: res individua, pluribus æqualiter debita, uni adjudicari: functiones honorificæ in Republica & periculosa stationes in bello designari: ex pluribus reis, quos impunitos esse, aut puniri omnes non expedit, mortis aut alia pœna uni decerni &c. per fortes non rarè solent. Demum quotiescunque nulla ratio appareat, cur in aliquo jure, prærogativa, commodo, incommodòve unus alteri præferatur, res sortitione decerni potest, Lessius *Lib. 2. de I. § 1. cap. 43. n. 58.* & Laiman. *Lib. 4. Trañ. 10. cap. 3. n. 8.*

Consultoria Sortes sunt, quibus occultæ veritatis manifestatio, vel incipientis consilii directio à Deo postulatur: sicut Achan, de anathemate furtim surripientis, peccatum deprehensum, Josue *cap. 7. v. 14.* Saul in Regem electus, *1. Reg. cap. 12. v. 20.* S. Matthias in Apostolato Judæ Prædicatori susceptus Actor. *cap.*

*1. v. 26.* juxta illud, *Sortes mittuntur in finem, sed à Domino temperantur, Proverb. cap. 16. v. 33.* Cujusmodi sortes, etsi relatis casibus ex speciali instinctu Dei, & humiliter ac reverenter, invocato ejus auxiliò, ab aliis, Sanctis præsertim viris adhibita sint, regulariter tamen & extra casum, quò urgente necessitate Divina voluntas alià vià investigari non potest, illicitæ & *can. Sortes, 26. q. 5.* à Leone IV. graviter ac merito prohibita sunt; quia sine necessitate, & prætermisiss ordinariis Divinæ providentiæ mediis, ad specialem & extraordinariam Dei providentiam temerè, ut plerumque sortilegiis fit, recurrens tentat Deum, seque exponit periculo; ne, eo permittente, à diabolo decipiatur, ut cum D. Angelico *cit. art. 8.* advertit *cit. Suarez n. 25.*

Præcipuè verò huic, & Divisoria etiam sortitioni locus non est in Electionibus ad Prælaturas Ecclesiasticas: à quibus adeò remota est, ut sorte non solum Ecclesiæ Prælati: sed electores etiam compromissarii decerni, ipsaque eorum nominatio sorti committi non possit, *et. fin.* cujus dispositio quia generali ratione nititur, & Ecclesiarum bonum, salutemque animarum spectat, communi DD. suffragiò à Prælaturis extenditur ad cæteras dignitates, beneficia, officia & administrationes Ecclesiasticas; quòd *c. cit.* compromissariorum omnium minima ex Ecclesiasticis electio sorti committi prohibeatur, Hostiensis & Anton. de Butrio *in c. cit. ad fin.* Suarez *Tom. 1. de Relig. Lib. 2. cap. 12. n. 3.* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 38. n. 71.* Ubi

Dubium est de Jure, quò ab electione Sortes remouentur. Ratio dubitandi oritur ex *c. cit.* textu, quò Honorius III. dum sortium usum multà reprehensione dignum vocat, non obscure insinuat,

L 1 3

sinuat,

sinuat, eas vetitas Jure anteriori: nec Positivò solum, sed Naturali, non permittente, dignis præferri indignos: quod personarum electione sorti commissâ facile contingit; cum, si à Deo non temperetur, ejus judicium & indicium omnino fortuitum sit, eam autem, ut supra digniorem & dignum potius quàm indignum cadat, à Deo temperandam, ulla revelatio vel promissio divina non habeatur.

Sed, licet inter dignos & indignos electionem sorte decerni, hoc Jus vetet: super plures tamen dignos eam mitti, Juris humani Ecclesiastici prohibitio est *c. Quia propter 42. de Elect.* quò textu ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi constituta eligendi forma triplex refertur, & aliter facta irritatur. Ratio est; quia controversias Ecclesiasticas perinde, ut Civiles quandoque sorti committi, specialem dedecentiam non habet: & *c. fin. cit.* reprehensione dignum ideo solum asseritur; quòd id novum & contrarium sit recepto usui Ecclesiæ, sicut in Prælatorum, sic etiam compromissariorum electione, & istorum nominatione sortes non admittentis. Quare casu, quò duo æquali suffragiorum numero eliguntur, à scrutinio transeundum est ad compromissum, aut electio permittenda superiori, Glossa in *c. Duobus 14. V. Teneatur, de Rescript. in 6.* Imò ad hunc Ecclesiæ de Prælato providendi juris devolutio fiet, *c. Ne pro defectu 41. de Elect.*

Neque obstat electio S. Matthiæ ad Apostolatum Actor. *cap. 1. v. 26.* quia ea sorti Consultoria specialiter commissâ fuit; ut quemadmodum cæteri Apostoli omnes, sic etiam Judæ successor, indicio divinò: non hominum judicio designaretur, ut colligitur ex prævia exhortatione S. Petri & Oratione precantium, *Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris, cit. cap. 1. v.*

24. Gonzalez in *c. fin. cit. n. 11.* & Passerinus de *Elect. cap. 18. q. 4. n. 1.*

An, sicut Prælati, sic etiam compromissariorum electio facta sorte, invalida sit, non satis exploratum; verisimilius tamen est, eam Jure subsistere; quia *c. Quia propter cit.* Prælatos duntaxat eligendi forma constituta, & aliter facta electio irritata: intacta autem fuit ratio electionis compromissariorum: quorum designationem per sortes Innocentii successor Honorius III. *c. fin. cit.* reprehensione quidem pronuntiavit dignam, & in posterum vetuit: at sine decreto irritante. Imò electionem per compromissariorum à sorte designatorum majora suffragia factam Apostolicâ autoritate confirmavit, *cit. Suarez cap. 12. n. 11. Passerinus q. 5. n. 11. & Pirhing ad hanc Rubr. n. 13.*

Quin, lites etiam Ecclesiasticas & electione seclusâ, Beneficiales, sicut cessione unius ex collitigantibus, sic etiam mutuò ipsorum consensu, accedente saltem autoritate legitimi superioris, sorti committi aliquando posse, docent iidem Suarez *cit. n. 11. Gonzalez n. 8.* & Pirhing *n. 14.* quòd hoc modo is, cui fors favet, jus ad beneficium non à cedente vel collitigante, qui id propriâ autoritate in alterum transferre non valet, *c. Admonet 4. de Renuntiatis.* sed à superiore obtineat, *arg. c. Nisi essent 21. de Præbend. & c. Quasi sum 5. de Rev. permut.*

Divinatoriæ Sortes sunt, quæ ad cognoscenda futura contingentia, aliæque occulta, v.g. homicidii aut furti autorem detegendum, adhibentur; cujusmodi sortes, sive per invocationem dæmonis expressam, sive per tabulas, codices scripturas, verba, signa &c. cum eventu aliâve re occulta nullam connexionem habentia fiant, superstitiosas & illicitas esse, liquet ex *can. Non liceat 3. can. Si quis Episcopus*

*Episcopus §. can. Sortes 7. Sc. 26. q. 5. c. 1. hic* cum enim ejusmodi scriptura, verba, signa &c. neque ex natura sua, neque ex promissione aliqua Divina connexionem ullam habeant cum eventu futuro aliave re occulta, admixtam habent tacitam invocationem aut pactum implicitum cum demone, illis verbis, signis &c. prolatis vel positis, futura & occulta manifestante vel procurante, *cit. Doctor Angelicus art. 8. Suarez n. 28. & Palao Tract. 17. disp. 1. p. 6. n. 12.* ut adeo mirum non sit, quod hujusmodi sortium usum, tanquam speciem quandam Apostasie à Deo, qui futura & humanorum cordium secreta solus novit 2. Paralip. cap. 6. v. 30. & familiaritatis cum diabolo, mortalium deceptore & hoste perniciosissimo, cui, qui iis utuntur se quasi discipulos subdant, sacri prophante LL. Conditores severissima ultionis exemplis sint persecuti.

10. Jure enim Civili in Sortilegos bonorum publicatio & capitis, imò aliquando ignis supplicium à Constantino Imp. decretum est *l. Nullus 3. §. 1. Nemo 5. C. de Malef. Hodie* arbitraria, & pro qualitate delicti istiusque circumstantiarum, carceris, relegationis & aliquando ultimi supplicii poena coërcetur, apud Brune-

mannus in *ll. cit. à n. 5.*

Ecclesiastico autem Jure iidem, si II. laici, verberibus castigari & perpetuo carceri mancipari, *can. Contra, 26. q. 5.* imò privari fidelium communione, *can. Admoneant, in fine, q. 7.* si autem clerici sint, ab officio & beneficio deponi, & ad agendam perpetuam poenitentiam in Monasterium detruendi, jubentur *can. Non oportet Sc. q. 5. cit. Sc. 1. hic,* ubi Glossa fin. & Panormit. n. 2. Quin eos degradandos & curiæ Seculari tradendos, desumi videtur ex *can. Admoneant cit.* quem tamen textum non de reali, sed verbali tantum degradatione sive depositione ab officio & beneficio exaudiendum, rectè notat *cit. Pirrhing n. 17.* Nisi divinationes & sortilegia saperent Hæresin; cujusmodi sunt, quibus ea, quæ Deo competunt, aut soli reservata sunt, ipsi negantur, vel diabolo tribuerentur; has enim exercentes obnoxii sunt poenis hæreticorum, de quibus actum *Tit. 7. à n. 42.*

Porro, licet tales sortilegi, etiam laici, 12. coërceri possint per Ecclesiasticam potestatem, *can. contra cit.* in eos tamen, quando Hæresis suspicio abest, ferè procedit curia Secularis, Panormit. *in c. 1. n. 3. Clarus §. Hæresis, n. 25. & Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 38. n. 92.*



## TITVLVS XXII.

### De Collusione detegenda.

#### SUMMARIUM.

1. Illa accusator dolose adjuvat reum :
2. Contra quem à collusione absolutum

- Inquisitio,*
3. Et nova accusatio institui potest.
  4. Beneficiu privantur, qui super iis col-  
ludunt.
- L 1 3

Falsi